



Vespasianus filius fuit Sabini Heluetij. Sabinus enim incola erat urbis Auentici, id quod & Suetonius innuere uidetur, cum dicit Sabinum apud Heluetios mercaturam exercuisse, atque tandem mortuum fuisse. Itaque Heluetiorum annales testantur, Vespasianum filio suo Tito, in Iudæam cum exercitu profecturo, attribuisse Heluetios milites, quos sibi ob longam uitæ consuetudinem nouerat familiarissimos. Erat autem Auenticum celeberrima urbs, Romanis confœderata, atque multis priuilegijs exornata, eoque tẽpore Heluetiorum metropolis. Postea autem à Hunnis, Burgundionibus, & Alemannis in odium Romanorum destructa. Hodie in eo loco superest oppidum Vuiflisburg, Bernensium ditionis, quod quatuor milliariibus Berna, & duobus tantum Friburgo Naithonum distat, ubi multa Romanæ antiquitatis (præsertim de Vespasianis suis ciuibus) monumenta supersunt. In ea itaque urbe (quæ tum unâ cum reliqua Heluetia ad prouinciã Rhetorum & Sequanorum maximam pertinebat) Vespasianus natus & educatus, quamprimum adoleuit, Romanorum castra secutus est. Cum autem is magna fortitudine esset insignis, primò in Tracia tribunus militum, postea in Creta ac Cyrenis quæstor, deinde Aedilis, ac tandem sub C. Caligula Prætor constitutus est. Hisce officijs egregiè administratis, sub Claudio Cæsare legatus Legionis in Germaniam missus est. Inde in Britanniam translatus, bis & tricies cum hoste confligit, & etiam imperata facere coëgit. Hinc Iosephus scribit Vespasiani uirtute factum ut Claudius de Britannia sine proprio sudore triumpharit. quare ipse triumphalia ornamenta, duplex sacerdotium, Consulatum, & Proconsulatum meruit. Hinc Silius Poëta de ipso canit:

Hodie in eo loco superest oppidum Vuiflisburg, Bernensium ditionis, quod quatuor milliariibus Berna, & duobus tantum Friburgo Naithonum distat, ubi multa Romanæ antiquitatis (præsertim de Vespasianis suis ciuibus) monumenta supersunt. In ea itaque urbe (quæ tum unâ cum reliqua Heluetia ad prouinciã Rhetorum & Sequanorum maximam pertinebat) Vespasianus natus & educatus, quamprimum adoleuit, Romanorum castra secutus est. Cum autem is magna fortitudine esset insignis, primò in Tracia tribunus militum, postea in Creta ac Cyrenis quæstor, deinde Aedilis, ac tandem sub C. Caligula Prætor constitutus est. Hisce officijs egregiè administratis, sub Claudio Cæsare legatus Legionis in Germaniam missus est. Inde in Britanniam translatus, bis & tricies cum hoste confligit, & etiam imperata facere coëgit. Hinc Iosephus scribit Vespasiani uirtute factum ut Claudius de Britannia sine proprio sudore triumpharit. quare ipse triumphalia ornamenta, duplex sacerdotium, Consulatum, & Proconsulatum meruit. Hinc Silius Poëta de ipso canit: